

289

287

293

283

298

278

338

238

388

188

Ende

Anfang

274

extit, ut fimbriam vestimenti ejus certatimi cuperent tangere. Hoc etiam singulare habuit hic S. Jacobus, quod Christo Domino fuit simillimus, adeo ut plerique in eorum specie fallerentur. Unde secundum omnia corporis lineamenta, et in modo conversandi, in vita et in facie, ita similis Jesu fuit, ac si ejusdem uteri frater esset gemellus. Quapropter post Domini ascensionem multi Jerosolymam ascenderunt, de diversis mundi partibus, ut Dominum Jesum in Jacobi persona viderent. Inter quos unus fuit Ignatius martyr, et Paulus Apostolus, Galat. 1. Ideo frater Domini est appellatus. In illo ergo loco oravimus, et indulgentias recepimus (†).

**De loco, in quo VII. diaconi fuerunt electi in ministerium.**

Statim de post venimus in locum, qui consuevit honorari propter electionem VII. diaconorum, et de qua electione habetur Actuum 6. Nam crescente numero fidelium post Spiritus Sancti missionem ortum est murmur propter ministracionem, quidam nimis gravabantur, alii despiciebantur. Quapropter elegerunt septem viros vita, moribus et gratia probatos, quos ministerio praefecerunt. Inter quos S. Stephanus fuit primicerius, plenus gratia et fortitudine etc. In hoc ergo loco orationibus praescriptis dictis et indulgentiis susceptis Deum laudavimus (†).

**De loco, in quo Apostoli confecerunt symbolum fidei christiana in XII articulis.**

Circa eandem conferentiam locus esse aestimatur, in quo Apostoli post Spiritus Sancti missionem congregato concilio sacro tradiderunt ecclesiae XII articulos fidei, quos confecerant, praedicando. In quorum articulorum fide omnes salvamur, et in Dei filios adoptamur. Magnae ergo reverentiae est locus iste. In eo ergo fidem veram confessi sumus et ulterius ad alia festinavimus etc. vide sol. 152. B. (†).

